



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XXXV. Vitalitii, quod cuidam Religioso in singulos vitæ annos à Patre
in Testamento relictum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)



CONCILIUM XXXV.

In causa Vitalitii relicti Religioso.

S U M M A R I U M .

1. 2. Facti species.

3. seqq. Rationes, qua videntur probare, Religiosum in hoc casu incapacem esse Vitalitii relicti in testamento.

7. Religiosus potest habere Vitalitium, cuius li-

bera administratio sit penes Superiorum.

8. Ut Legatum acquiratur Monasterio, non opus est acceptatione Religiosi.

9. Clausula omni meliori modo.

10. Deciditur Quæstio.

FACTI SPECIES.

SEmpronius, Societatis Iesu Religiosus, in actu, & per caulam ingressus in eandem Societatem in favorem parentis sui fecit renuntiationem generalem hæreditatis tam paternæ, quam maternæ, & aliorum quorumcunque bonorum acquisitorum, & acquirendorum, neque libellum, aut Pensionem annuam ullam (cujusmodi libellos alias filii, Religionem ingressi, reservare sibi, quoad vivunt, in Italia solent) reservavit, quod diceret, se talem ingredi Religionem, quæ Religiosis suis alias de omnibus sibi necessariis prospicit, ut proinde absque tali vitalito vivere commode possit. Hæc renuntiatione in favorem suum adeo generaliter factâ, aliisque insuper causis commotus pater sub his expressis terminis, per ragione di Legato, institutione, & ogni altero meghior modo in testamento suo per speciale Paragraphum eidem suo filio 20. Scuta, quamdiu ipse vixerit, ab herede à se instituto, & iis, ad quos bona hæreditaria à se relicta temporibus futuris pervenerint, annuatim pendiprecepit, hac adiectâ expressâ clausula, ut si quis eorum in prædictâ pecunia solutione defecerit, nisi moram purgare possit (quod ei permanentem Testator voluit) omni commodo dictâ sue hæreditatis caderet, & in ea succederet immediate aliis per ordinem successive vocatus. Addidit præterea Testator, ut si hic ejus filius non vellet hæc 20. scuta annua sibi relicta exigere, libera eidem maneat facultas illorum solutionem hæredibus ad hanc obligatis remittendi, & relaxandi, absque eo, quod Societas,

R. P. Schmalzgruber Consilia

vel ejus Superiores possint desuper habere actionem aliquam.

Nihil de hac patris sui dispositione ante ejusdem patris sui mortem scivit Sempronius, & ideo, quia nec de morte illius ante Professionem solennem à le editam sci-re aliquid potuit, renuntiare Legato huic in favorem alicujus Collegii, vel in manus Superiorum (prout in Societate consuevit) non potuit. Quia tamen mortem patris intra quatuor dies emissa Professio est consecuta, putat Sempronius sibi, vel potius per ipsum Societati Legatum hoc legitime esse acquisitum, nec præjudicium ipsi creare posse, quod tempore mortis hanc patris dispositionem nesciverit, de qua si noritiam habuisset, utique adhibuisset diligentiam consuetam, & idem Legatum in Societatis commodum fecisset applicari. Suasum eidem est, ut cum ante Professionem haberet voluntatem generali faciendi omnia, quæ circa renuntiationem talium Legatorum, & alterius cujuscunque rei Institutum Societatis requiri, nunc concipiatur renuntiationem in ea forma, in qua fecisset illam ante Professionem, si de hoc Legato sibi relieto, notitiam habuisset.

2.

QUÆRITUR

Utrum Legatum hoc non tantum debeatur in foro conscientia, sed etiam in foro fori, seu externo per viam juris exigit possit?

VIdetur non posse. 1. Quia hujusmodi census Vitalitii, & Legata annua mercato bonis stabilibus, & immobilibus æqui dubitandi, parantur. Talia autem possidere repugnat Religiosæ paupertati ex Decreto S. Concil. sess. 25. c. 2. de Regulari. ubi statuit, ut nemini Regularium tam virorum, quam mulierum licet bona immobilia, vel mobilia

3.

(Zzz)

lia . . tanquam propria, aut etiam nomine Convenit possidere, vel tenere: additque, nec Superioribus deinceps licere talia bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum: quod etiam de Vitalitatis, seu præstationibus annuis ad vitam Religiosi (qualis est illa, de qua in casu præsentis agitur) intelligendum judicat

Illustrissimus Dominus Vincent. Petrus
tom. 4. Comment. fol. 171. n. 33.

& patet

4. Ex Decreto S. Congr. quæ ad quæstionem, an liceat Regularibus habere prædictos annuos reditus, seu provisiones annuas nomine Conventū, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ut sint immunes à culpa, & pœna, de qua in cit. Decreto Tridentini e. 2. sess. 25. de Regular. respondit negative. Quod responsum eadem S. Congr. confirmavit novissimè 7. April. 1707, ubi cùm duæ moniales Conventū SS. Trinitatis Neapolis obtinuerint à S. Congreg. Episcoporum Indultum, ut possint recipere annuam præstationem Scutorum 200. à Parentibus solvi promissam, ita tamen, ut superiorissæ, seu depositariæ traderetur, eroganda ab ipsis monialibus pro earum indigentiis, sive aliis usib[us] piis sibi bene visis, reclamantibus contra Indultum hoc monialibus reliquis, tanquam læsivum vix communis, & Constitutionum Conventū, eadem S. Congregatio rescriptis servandas omnino esse Constitutiones, non obstante Indulto. Et quidem res ita speciale difficultatem habet in casu præsenti; quia

5. 3. Vitalitum hoc à patre relictum est Sempronio, qui jam est Professus Societatis, & quidem cum mentione tituli Institutionis, cuius Professi ejusdem Societatis sunt incapaces. Neque obstat, quod mortem patris primū consecuta post quatuor dies, ut in Facti specie dicitur num. 2. sit Professio Sempronii, adeoque tunc temporis iste Institutionis fuerit capax; quia videtur non tantum considerari debere tempus, quo mortuus est Testator, sed etiam tempus illud, quo bona per Testamentum delata, acceptantur ab herede instituto. eo autem tempore, quo post notitiam de morte patris, & hac ejus ultima voluntate habitam acceptare debebat Sempronius Vitalitum sibi ab isto relictum, jam erat Professus, consequenter incapax Institutionis. Eadem videtur esse ratio, si, ut ex clausula juxta num. 2. addita defendi potest, dicatur, quod Vitalitum hoc tantum habeat ratificationem Legati; licet enim juxta l. cū pater 77. §. surdo 3. & l. Legatum 80. ff. de Legat. 2.
- Legati dominium à morte legantis statim acquiratur Legatario, etiam ignoranti, dominium tamen istud, antequam acceptetur Legatum, non est perfectum, sed

conditionatum, scilicet, nisi Legatum repudiet Legatarius, ut notat

Gloss. in. l. quod autem 6. V. Legatum. quia in fraud. Creditor.

Denique

6. 4. Esto, Sempronius fuerit capax hujus Legati anni, tamen capax esse non potuit eo modo, quo illud ipsi relictum est; voluientem Testator, ut ipse Sempronius habeat jus solutionem hanc annuam exigendi. Hoc autem fieri in Professo Societatis non potest, quippe qui, quod acquirit, Societati acquirit, consequenter totum jus non penes ipsum Sempronium, sed penes Societatem, seu Collegium, cui Legatum hoc applicatum est, foret: quod tamen, ut ex num. 1. patet, Testator non voluit, dum expresse ordinavit, ut Societas, & ejus Superioris super tali Legato non haberent aliquam actionem.

7. Verum hæc argumenta non satis probant intentum. Ad 1. & 2. dum Tridentini solvuntur dispositio, & responsum S. Congreg. locum duntaxat habet, quando Vitalitum ita reservatur Religioso, ut etiam ab hoc administretur; nam hoc solum, ut loc. cit. notat laudatus Illustrissimus Petrus, reprobatur per dictam S. Synodum, licet cum licentia Superioris Regularis reservatum, & revocabiliter, atque ad usus licitos concessum sit. At si ita Vitalitii præstatio reguletur, ut pecuniae detineantur in deposito, vel arca communi ipsius Monasterii, atque exinde Religiosus à manu Superioris eas percipiat, erogatur in religiosos, & honestus usus, de quibus Superior posuit inquirere, id denegando, quoties si non vindicetur congrui, & honesti, in eo sensu Vitalitium Regularibus licitum est, ut cum alii docent

Less. l. 2. de just. c. 4. n. 31. Card. de Luca de Regular. disc. 57. n. 17. Monacell. tom. 1. form. in append. fol. 291. n.

4. Petrus tom. 4. cit. fol. 172. n. 37. & in hoc, non vero in alio sensu Vitalitium monialibus num. præ. relatis censetur concessisse S. Congr. Episc. & Regul. in Neapolitanis cit.

8. Ad 3. Pater Vitalitum hoc à se relictum voluit obtineri à filio suo Sempronio, ut ex num. 1. patet, omni meliori modo, quo ille potuit hoc obtinere. Potuit autem obtinere illud etiam post Professionem editam per modum Legati; nam Legati recipiendi capaces sunt etiam Professi Societatis Iesu, quippe quod cùm sit rerum singularium, se habet instar Eleemosynæ, & rei donatae, quam Religiosi omnes acceptare possunt, ita tamen, ut non sibi acquirant, sed Monasterio suo. Unde non obstat, quod Sempronius de hoc Legato sibi à patre relictus ante Professionem nihil sciverit; quia acceptare illud etiam post Professionem jam editam potuit. Imo, ut acquireretur hoc Legatum Societati, non opus fuit accepta-

ceptione ipsius Sempronii, ut bene no-
tant

Covar. in c. 1. de testam. n. 31. Molin.
tract. 2. de f. & f. D. 140. n. 19. Sanch.
l. 7. moral. c. 12. n. 36. & apud hos plu-
rimi alii citt.

Ratio est, quia ipsa Professione bona, & ju-
ra Professi, de quibus ille antea non dispo-
suit, omnisque ejus voluntas transferunt in
Monasterium, vel Religionem, cui per
Professionem adscriptus est. Igitur trans-
fertur etiam jus, & voluntas acceptandi Le-
gatum relictum Professo suo.

Ad 4um Pater filio suo Sempronio, ut di-
cunt est, Legatum istud reliquit omni melio-
ri modo, quo illo gaudere ipse Sempro-
nius potuit. Non potuit autem gaudere
illo, nisi dependenter à licentia Superio-
rum, & ita, ut quæ ex illo obveniunt,
juxta dispositionem Superiorum incorpo-
rentur alicui Collegio, vel Domui capaci
reditum ariuorum, ipse autem Professus ni-
hil juris in tali Legato sibi vendicet, sed Su-
perior, quamvis deceat, ut inde primum ne-
cessitatibus illius, cuius intuitu relicti sunt,
provideat, libere tamen ejusmodi pecu-
nias in alios usus expendere, & Religiosi ne-
cessitatibus aliunde providere possit. Ne-
que obstat, quod Testator in filii sui Sem-
pronii libertate reliquerit, ut Legatum hoc
vel exigere, vel hæredibus institutis, si ita
veller, cedere, & renuntiare posset; hoc
enim intelligendum est in terminis habili-
bus, scilicet, ut fieri debet, cum superio-
rum licentia, & approbatione. Dum
vero idem Testator addidit, ut Societas
nullam actionem habeat ad Legatum istud
petendum, ad casum, ut ex verbis Testa-
menti patet, illum est referendum, quo
Sempronius cedere hoc Legatum hæredi-
bus institutis voluerit, quod cùm facere,
maxime post Professionem, ubi nullam am-
plius potestatem disponendi de rebus hu-
jusmodi habet sine consensu Superiorum
nequeat, his approbantibus cessionem, uti-
que Societas nullam amplius actionem Le-
gatum hoc exigendi habebit.

Quare ad quæstionem num. 2. propon-
sita dicendum 1. Legatum hoc Sempro-
nio à patre factum valere; quia, ut con-

stat ex num 7. talia Vitalitia, Religiosis reli-
cta, in terminis illo num. explicatis non re-
pugnant Decreto Tridentini nec im-
probantur à Sacr. Congr. 2. Non ob-
stante Sempronio, quod ante Profes-
sionem nesciverit Legatum istud sibi à
patre relictum esse, ac propterea prius
acceptate illud, atque de eo juxta So-
cietas Institutum disponere non poterit;
quia, ut dictum est num. 8. etiam Profes-
si Societas capaces Legati sunt, ita ta-
men, ut illud Societati acquirant, non
sibi; &, ut eodem num. monui, ad ac-
quirendum tale Legatum Monasterio,
vel Religioni, non est opus, ut Pro-
fessus, cui illud relictum est, istud ac-
ceptet. 3. Posse Sempronium nomine
Societas, & Societatem nomine Pro-
fessi sui Sempronii Legatum istud exi-
gere, & ad illud præstandum hæredem
institutum tenerin tantum in conscientia
sed etiam, si renuat, in foro exter-
no ad satisfaciendum obligationi suæ
compelli posse, non obstante clausula
illa testamento adjecta, ut Societas a-
ctionem nullam super isto Legato ha-
beat; quia juxta num præc. verba hæc
referri debent ad casum, quo Legatum
istud Sempronius hæredibus cesserit, &
quidem in terminis habilibus, scilicet ap-
probantibus cessionem istam Superiori-
bus Societas. Quare denique 4.
poterit Sempronius optimo jure nunc e-
tiam post Professionem à se editam in
Societas favorem concipere renun-
tiationem istius Legati in ea forma, in qua
fecisset illam ante Professionem, si de
eo sibi relicto tunc temporis notitiam
habuisset, dicendo, se acceptare hoc Le-
gatum, prout illud juxta Societas In-
stitutum acceptare potest, & valet. Dies
tamen datae non debet in instrumento
renuntiationis retrotrahi ad tempus Pro-
fessionem antecedens, tum quod istud
non satis esset consentaneum veritati,
cùm primum post Professionem notitiam
Legati relicti acceperit, tum quia hoc ne-
cessarium non est, cùm uti dictum est, etiam
Professi Societas Legatorum capaces sint.
Ita salvo meliore &c.



(Zz3)

CON-